

sciplinares; consuevitque poenis spiritualibus et corporalibus quoque plectere contumaces: porro potestas puniendi supponit potestatem prohibendi id quod punitur, vel praecipendi id cuius ommissio punitur; puniuntur proinde haeretici ratione etiam negatae obedientiae Ecclesiae.

Ne dicas Ecclesiam non posse praecipere actum saltem internum fidei; quia generatim nequit praecipere actus internos. Nam 1^o cum agitur de actibus internis qui per se connectendi sunt cum actibus externis ut hi honesti sint, atque hi praecipere possunt, ad internos quoque actus ut aliquod totum constituentes cum externis se porrigit iurisdictio exterior. 2^o Etiam si habeatur ratio tantum actus mere interioris fidei, advertere licet non admodum firmum esse fundamentum cui innititur sententia negans. Aiunt enim iurisditionem praecipientem ad ea porrigi quae punire potest: punire autem posse ea de quibus valet iudicare; de actibus porro internis iudicium ferri non posse quia sunt occulti. Verum a) conceditur in actus exteriores occultos qui remotis arbitris fiant protendi Ecclesiae iurisditionem: dicuntur quidem occulti per accidens non per se; at nescio quid haec distinctio conferat ad defensionem doctrinae statuentis in actus mere internos iurisditionem haberi non posse. Etenim in illis quoque actibus exterioribus occultis integra formalis ratio reperitur quae prohibet iuxta hos auctores iurisditionem; nimirum quod homines de illis iudicare non valeant: unde ex eo quod per accidens sint occulti potius inferendum esse videretur quod, licet per accidens, sint tamen subducti a iurisditione externa. b) Quamvis sententia per modum iudicii ferri non possit in actus mere internos, ferri tamen potest per modum legis statuentis ipso facto subeundam poenam aliquam, ad cuius applicationem opus non sit ulla exteriori executione: quemadmodum contingit pro actibus exterioribus per accidens occultis, qui excommunicatione plectantur. 3^o Cum ergo iurisdictio Ecclesiae sit altioris ordinis quam politica et ordinata in bonum animorum, ac vicaria illius qui animas regit, non videtur ad solos exteriores actus restringenda.

III. Discrimen est tamen iuxta indolem obiecti in exercitio potestatis iurisditionis quoad proponendas veritates credendas, et ferendas leges disciplinares. Veritates enim credendae sunt immutabiles, leges vero disciplinares mutabiles: illas Ecclesia proponit, has condit. Hinc decreta fidei abrogari non possunt, leges disciplinares possunt. Id vero non impedit quominus in proponenda fide exerceatur potestas iurisditionis exigens assensum, cogensque professionem fidei; sed tantum efficit ut exercitium huius potestatis exhaustur in proponenda fide, ita ut non sit locus actui quo oppositum proponi possit, propo-

situmque revocari. Et licet auctoritas magisterii determinata sit ex parte obiecti, non est tamen determinata sed indifferens quoad exercitium sui circa illud obiectum.

§. XXI.

Ex auctoritate a Christo instituta omnes Ecclesiae proprietates procedunt unitas sanctitas catholicitas apostolicitas, de quibus nunc agendum est. Ad unitatem quod spectat, quoniam ea requirit praecipue unitatem in fide, et haec citra infallibilitatem aliquam haberi nequit, de ipsa infallibilitate primo agendum.

Voluit Christus Ecclesiam suam infallibilem esse circa omnes veritates revelatas et eas quae cum ipsis nexum dogmaticum habent: atque hanc infallibilitatem voluit ope magisterii a se instituti obtineri: quocirca necesse est Ecclesiam auctoritate infallibili in docendo semper potiri.

I. Duplex primum secernenda quaestio: an Ecclesia sive fidelium universitas sit infallibilis: tum quo medio, Christo auctore, obtineatur infallibilitas Ecclesiae. Rursus quaeri simpliciter potest factum, an Christus voluerit Ecclesiam suam esse infallibilem, et deinde an aliqua necessitas fuerit ut id ipse vellet. Tum de obiecto circa quod versatur infallibilitas disputandum est.

Protestantes cum Socinianis negant Ecclesiae visibili praerogativam infallibilitatis, imo ipsi verae Ecclesiae negant esse necessariam praerogativam infallibilitatis in omnibus revelatis. Infallibilitatis notio huc redit, ut 1^o factum erroris excludatur, h. e. nunquam futurum sit quod Ecclesia erret, idque certo constat: 2^o ut sit in Ecclesia divinum principium seu causa efficiens huius exclusionis erroris, quae causa est assistentia Spiritus S.: qua existente et perseverante consequitur quod possibilitas quoque erroris excludatur. Unde patet distingui inerrantiam Ecclesiae ab inerrantia quadam simpliciter humana. Quae vero ad rationem spectant huius assistentiae inquiremus cum de Pontificis infallibilitate disputabimus.

Nunc demonstramus voluisse Christum Ecclesiam suam immunem semper esse ab errore in iis quae fide divina credenda sunt. Quo quidem facto constituto sequitur infallibilitas. Nam huiusmodi immunitas in rebus rationi imperviis, eademque certa nobis nequit esse nisi ex promissione certa assistentiae Dei, quae, ut diximus, possibilitatem erroris excludit, statuitque veram infallibilitatem.

II. Porro immunitas Ecclesiae ab errore in iis quae fide divina credenda sunt potest demonstrari primum hoc simplici argumento.

Ecclesia Christi perpetua esse debet ex Christi institutione: ergo et immunis ab errore ex eadem institutione. Ut rectitudo consequentiae pateat, adverte quod Ecclesia est essentialiter societas fidelium, h. e. eorum qui non solum pio affectu credulitatis adhaerent Deo revelanti sive errent sive non errent circa obiectum creditum, sed qui secundum veritatem credunt id quod revelavit Deus tum externa professione, ut ad corpus Ecclesiae spectent, tum etiam interiore assensu, ut fides eis prosit ad salutem. Vera enim fides ea est quam Deus voluit esse initium salutis, ut non tantum homines se subiicerent Deo revelanti subiectione formali, sed per se etiam materiali (licet per accidens in aliquibus formalis identidem sufficere possit) in iis nimirum determinatis veritatibus credendis, quas ipse revelavit. Regnum enim Christi est regnum veritatis Ioan. XVIII, 37. est regnum luminis 1. Petri II, 9. 10. et lucis 1. Ioan. I, 5-7. et fundamentum pietatis est fides vera ea scilicet quae est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium Heb. XI. Itaque vera fides ea est quam Deus voluit et externa professione in Ecclesia celebrari, et proinde ab Ecclesia sua doceri; nam hinc pendet interior fides: illud enim credimus quod Ecclesia docet. Quare Ecclesia non docens veram fidem non est amplius medium illud institutum a Deo, quo homines veram fidem assequi possint credendo veritates a Deo revelatas, et per fidem assequi iustitiam et sanctitatem. Ecclesia scilicet desinit esse societas fidelium, si credant homines quod ipsa docet, et ipsa non doceat amplius quod Deus revelavit: desinit proinde esse medium salutis; unde tandem desinit ipsa esse Ecclesia, quae est essentialiter societas fidelium, et essentialiter medium salutis. Ergo si perpetua est Ecclesia, est quoque perpetuo immunis ab errore, ideoque infallibilis secundum id quod ab initio praestituimus.

Praeterea 1. Timoth. III, 5. Ecclesia dicitur *columna et firmamentum veritatis*. Locus est parumper impeditus; unde integer recitandus est. Ait Apostolus: « haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te (a graeco abest vocula *te*; scilicet sermo generalis est) in domo Dei conversari, ἡτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζωντος, στύλος καὶ ἐδραιώμα τῆς ἀληθείας. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Θεός (quidam codices habent ὁ quod et vulgata legit, quidam ὄς, unde, si credimus Liberato Diacono in Breviario c. 19. a Macedonio episc. constantp. sub initium sec. VI., factum est Θεός h. e. Θεός - conf. Hincmarum Rhemens. in opusc. ad Hincmarum Laudunensem c. 18.-; alii vero et antiquiores habent Θεός cf. N. T. edit. Tischendorf.) ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὠφθη ἀγγελοῖς, ἐκηρυχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνεληφθη

ἐν δόξῃ. » Quaestio est quodnam sit subiectum, de quo dicitur quod sit *columna et firmamentum veritatis*. Quidam enim putant esse ipsum Timotheum, ac si diceretur: quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, ὡς στύλος vel στύλος ὦν tanquam columna scilicet, vel columna cum sis et firmamentum veritatis. Porro, aiunt, ellipsis τοῦ ὡς vel τοῦ ὦν frequens est. Sic Aug. Dathius in Salomonis Glassii Philologia sacra L. II. Tract. 4. c. 13. Ratio huius interpretationis est a) quia *columnae* appellatio Ecclesiae proceribus sive membris praecipuis alibi tribuitur Gal. II, 9. Apocalyp. III, 12. b) Quia cum Ecclesia repraesentata sit modo sub figura *domus*, incongruum est eandem in eodem contextu sermonis repraesentari sub figura *columnae*: columna autem est pars quaedam praecipua domus, sicut Episcopus Ecclesiae. Alii contendunt primam partem sermonis absolvi verbis *Ecclesia Dei vivi*; sequentibus autem initium fieri alteri orationis parti: nimirum verba *columna et firmamentum veritatis* coniungenda sunt cum iis quae sequuntur, ut ita sit legendum: *Columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pietatis mysterium* etc. Rationes sunt, a) quae secundo loco in priore sententia est recitata: b) quia Paulus non solet a coniunctione et exordiri orationem: c) quia haec est usitata formula iudaica, cum tradunt praecipua dogmata religionis, ut ea vocent columnam et fundamentum sapientiae; ita Maimonides initio Misnae. Imo ipse Paulus doctrinam de Iesu Christo, quae heic quoque proponitur, vocavit *fundamentum* 1. Cor. III, 11: d) quia id suadet series orationis; cum prius enim docuerit Apostolus qualis pastor esse debeat, nunc docet quid potissimum tradere debeat tanquam fundamentum religionis: e) quia ita quoque legisse videtur Irenaeus L. III, c. 4. (cf. si licet Sviceri Thesaurum v. στύλος).

Verum nulla est ratio cur has interpretationes admittamus. Nam quoad primam, Episcopi quidem simul sumpti dici possunt columna et firmamentum veritatis auctoritate sua quemadmodum Ecclesia; at unum simplicem Episcopum ita vocari nimium est: nec satis logice in contextu cohaeret eum, qui instruitur et instructione indigere ostenditur, appellari simul columnam et firmamentum veritatis. In loco autem citato Gal. II. 9. appellatio *columnae* fit Apostolis, qui primum locum in Ecclesia tenentes eam sua auctoritate ac doctrina sustentabant ac regebant. In Apocalypsi vero nec occurrit metaphora *columnae veritatis*, sed solum *columnae*, eaque specialis significatur praerogativa stabilitatis in fide concessa vincenti. Porro ellipsis sine causa asseritur, tum quia Paulus generatim de omnibus loquitur, ut scias πὼς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι; tum quia inter subiectum, cui praedicatum hoc *columna* etc. tribuendum esset,

ipsumque praedicatum, intercedit aliud subiectum, h. e. Ecclesia. Columna autem esse dicitur non immediate ipsa domus, sed Ecclesia Dei vivi, quae sub duplici imagine repraesentatur, domus quoad Deum qui in illa habitat, columnae et firmamenti quoad veritatem. Neque abhorret a Scripturarum loquendi ratione quod duae differentes metaphorae simul pro eodem subiecto adhibeantur. Cf. Ieremiam I, 18. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum.

Quoad alteram porro interpretationem, falsum est generatim quod non liceat exordiri partem orationis particula coniunctiva: sicut enim membra unius periodi, ita et plures periodi invicem coniungi possunt. Tum falsum est Paulum non solere ita exordiri orationem suam. Cf. 1. Cor. II, 1. III, 1. Ephes. II, 1. Quod autem doctrina de Christo incarnato seu mysterium pietatis possit dici columna et firmamentum veritatis, non est ratio sufficiens cur heic dicatur. Irenaeus vero l. c. dicit tantum quod Evangelium ab Apostolis scriptum futurum erat nobis columna et firmamentum veritatis contra gnosticorum errores qui divinam revelationem ab Apostolis traditam pervertere conabantur. Usus est scilicet Irenaeus ea metaphora qua usus est Apostolus; quae metaphora et penes Irenaeum habet sensum verum, qua uti ille potuisset etiam non praeunte Apostolo: at nihil est quo pateat ibi Irenaeum interpretari verba haec Pauli, ut de eodem subiecto eadem res ab utroque praedicetur. Nec series orationis hanc interpretationem flagitat, ut mox patebit.

Itaque tenenda est lectio communis omnibus Patribus et interpretibus, ut verba *columna et firmamentum veritatis* coniungantur superioribus: atque communis eorumdem interpretatio, ut ea de Ecclesia dicantur (1). Et sane Paulus scribens hanc epistolam habebat prae oculis gnosticos contra quorum falsam scientiam tutos studebat reddere fideles curae Timothei commissos (I, 4-7; IV. 1. seq., VI, 3-5., 20. 21). Horum ἑτεροδιδασκαλων (VI, 3) doctrina ψευδωνυμοσ γνωσις (20) dicitur, eratque adversa Fidei quam Apostoli praedicaverant, et Ecclesia Dei vivi profitebatur. Hinc cum docuisset Apostolus Timotheum (cp. III) quales esse deberent in Ecclesia Episcopi, Diaconi, ipsaeque mulieres, advertit se ea scripsisse ut, etiamsi ipse tardaverit venire, sciat Timotheus quomodo oporteat tum ipsum

(1) « Verum considerans omnia exemplaria Graeca, Latina, Syriaca, Arabica legere et interpungere non secus ac biblia nostra, ac praeterea cunctos Patres ita pariter interpretatos esse, relatis extremis verbis ad Ecclesiam, non ad mysterium pietatis; censeo his contentos esse oportere, nec novam interpretationem inducendam esse absque necessitate. » Ita Daillé auctor Protestans in Sermone Gallicis in 1^m Timoth. c. III, v. 15, Serm. 21^o.

tum alios in domo Dei conversari quae est Ecclesia Dei vivi: mentione autem facta Ecclesiae, ut se opponat gnosticorum novae falsaeque doctrinae, monet eam esse *columnam et firmamentum veritatis*; ut scilicet fideles intelligerent ab ea, non ab iis novis doctoribus quaerendam esse veritatem. Cum scopo ergo epistolae Pauli optime cohaeret quod ea verba de Ecclesia dicta intelligantur. Et re quidem vera nequeunt ea coniungi cum sequentibus; in hac enim hypothesi, quoniam subiectum est μυστηριον quod articulo gaudet, sensus hic foret: *mysterium pietatis est columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum*: quid autem attinebat dicere mysterium illud esse magnum, postquam dictum fuerat esse columna et firmamentum veritatis? et cum incrementum orationis exspectares vides illam desinere in praedicatum minoris momenti nullamque novam afferens notitiam. Itaque quemadmodum duo sunt subiecta huius orationis, *Ecclesia* nimirum et *mysterium pietatis*, ita duo sunt distinguenda, quae de singulis praedicantur: *columna et firmamentum veritatis* de Ecclesia, *manifeste magnum* de mysterio pietatis. Quod autem ea verba sint appositum Ecclesiae non alterius subiecti, liquet ex immediato nexu; cum praeterea nullum sit aliud in oratione subiectum, cui ea adseri possint.

Ecclesia autem, quae est columna et firmamentum veritatis, est universa Ecclesia; nam ea nomine Ecclesiae intelligitur, cum nullum est appositum circumscribens; heic vero nullum est: nam non ex eo quod praecepta tradita sunt Timotheo ut sciat quomodo oporteat ipsum conversari in Ecclesia, sequitur Ecclesiam hanc esse Ephesinam, cuius Timotheus Episcopus erat; etenim in universa pariter Ecclesia ipse ceterique conversabantur, cuius partes et membra erant. Et universa Ecclesia est domus Dei et Ecclesia Dei vivi.

Item veritas ἡ ἀληθεια non est haec aut illa veritas, sed est universa doctrina revelationis, seu fides obiectiva quae simpliciter dicitur ἡ ἀληθεια sive ἀληθεια in Scripturis, ut in hac eadem epist. II, 4. eaque opponitur τῇ ψευδωνυμῷ γνωσει των ἑτεροδιδασκαλων.

Ecclesia ergo universa est στυλος και ἐδραιωμα της ἀληθειας. Non dicitur quid Ecclesia esse debeat ex lege aliqua morali, sed quid sit; unde Timotheo dictum est: ut scias quomodo oporteat: quoad Ecclesiam vero simpliciter affirmatur quod est columna veritatis. Porro cum huiusmodi praerogativa asseritur societati, quae habet auctoritatem docendi, tenendum est eam illi competere ratione auctoritatis; ideoque eo modo esse columnam et firmamentum veritatis quo auctoritas potest fulcire et firmare veritatem. Iam vero quid στυλος sit omnes norunt, proprie enim est columna praecipua, ma-

gna vel unica rei sustentandae vel proponendae; cum aliae minus notabiles *στηλαι* vel *κιονες* potius dicerentur. Metaphorice autem *στυλος* est omne id cui aliquid innititur, a quo aliquid firmitatem, stabilitatem, securitatem mutuatur. *Ἐδραιωμα* est vocabulum *ἀπαξ λεγόμενον* hoc in loco tantum occurrens; occurrunt tamen ea, a quibus derivatur: *ἔδρα*, quae sellam primum significat, tum quod subiicitur sustentandae aut fulciendae rei; hinc *ἔδραιον* quod est firmum (1. Cor. VII. 37., XV, 58: Coloss. I. 23); unde *ἔδραιω* stabilio firmo (Cf. Stephanum in h. v.), ex quo *ἔδραιωμα*, quod teste Phavorino et Svida est *στηριγμα*, firmamentum, stabilimentum. In *ἔδραιωματι* itaque conceptus est tum sedis in qua aliquid sedet, tum sustentantis et firmantis, sive firmitatem stabilitatemque conferentis ei quod ipsi insidet. Metaphorice proinde *ἔδραιωμα* est omne id, quod ex se firmum est, ac stabilitatem firmitatemque impertitur ei quod ipsi innititur. Porro licet columna in eum usum quoque adhibeatur ut aliquid attollens in conspectu omnium proponat, attamen ex hac sola ratione metaphoram non ducit usus loquendi, sed ex ratione roboris et firmitatis quam in se habet et alii communicat, sive ex hac ratione sola sive coniuncta alii quoque rationi. Et quidem rationem roboris et firmitatis esse fundamentum translationis manifestum fit ex eo quod *στυλος* simul et *ἔδραιωμα* copulentur tanquam apposita unius subiecti. Columna autem et firmamentum veritatis potest aliquid dici primum duplici ratione; ut nempe a) quatenus *στυλος* et *ἔδραιωμα* sunt sedes quaedam, illud dicatur columna et firmamentum veritatis, quod est eiusdem sedes, in quo veritas obtinet sedem suam: ut b) quatenus *στυλος* et *ἔδραιωμα* sunt sedes firma et stabilis firmitatem stabilitatemque incumbenti et sedenti impertiens, illud dicatur columna et firmamentum veritatis, quod ei firmitatem et stabilitatem impertitur. Utraque vero ratio simul esse debet: prior enim sine altera nequit metaphora columnae et firmamenti repraesentari. Alterum autem rursus dupliciter contingere potest: nimirum 1) ut veritas *in se ipsa* firmetur; 2) ut veritatis manifestatio, sive doctrina veritatis sit firma. Quamvis enim veritas in se ipsa sit firma, indigere tamen potest extrinseco praesidio quo firmetur notitia eiusdem; hoc autem praesidio indiget divina veritas, quae hominibus per homines manifestanda est; quod quidem praesidium nequit esse nisi auctoritas. Et licet veritas sive divina revelatio spectata ontologice firmet Ecclesiam, notitia tamen et certitudo eius firmari potest magisterii Ecclesiastici auctoritate.

Cum igitur Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis, est primum sedes veritatis, sed deinceps sedes firma stabilisque veritatis, stabilitatem et firmitatem conferens non quidem veritati in se ipsa; non

enim Ecclesia veritatem constituit, quam imo accepit a Deo, sed notitiae eiusdem, certam scilicet auctoritate sua penes omnes gignens notitiam veritatis. Atqui haec est ipsa praerogativa infallibilitatis. Si enim Ecclesia licet non erret, falli tamen potest, aut dubitare liceat ne fallatur, ea nunquam est *στυλος και ἔδραιωμα* veritatis: quod est enim fallibile et constat falli posse, nullam quoad nos firmitatem seu certitudinem veritatibus fidei conferre potest. Agitur enim non de testimonio historico, quod etsi sit ab homine qui falli potest et fallere, potest tamen certitudinem rei narratae gignere pluribus in adiunctis, cum constat scilicet testem nec deceptum esse nec velle fallere, quae duo ope examinis a nobis instituti constare nobis possunt. Sed agitur de testimonio dogmatico, seu de magisterio quo aliqua doctrina tenenda proponitur, cuius magisterii veracitas, si aliquando falli potest, nunquam certa potest esse nobis. Perinde est ergo dicere Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, et dicere Ecclesiam in proponendis veritatibus revelatis, iudiciisque circa ea ferendis immunem esse ab errore et infallibilem. Quia vero illud ita ab Apostolo praedicatur de Ecclesia ut ad eius essentiam spectare manifeste videatur, ergo semper Ecclesia immunis ab errore et infallibilis esse dicenda est. Ergo est haec voluntas et institutio Christi ut talis sit Ecclesia; qui proinde speciali sua providentia seu assistentia efficiet ut error semper excludatur: societas enim hominum sibi relicta nequit esse ex se ipsa columna et firmamentum veritatis pro hominibus. Nec dicas Patres vocasse quosdam columnas et firmamenta fidei, quin voluerint tamen eos dicere infallibiles: nam his titulis insigniti sunt qui strenue tuebantur doctrinam Ecclesiae; iidemque infallibiles habebantur non potestate sed facto, non ex se, sed propter doctrinam infallibilem Ecclesiae, quam sequebantur, et propugnabant: unde neque quoad omnia, sed quoad quaedam tantum dicti sunt columnae veritatis. Huiusmodi ergo appellatione infallibilitas aliqua semper significatur. Discrimen vero est, quod cum ea appellatio fit singulis doctoribus, qui doctrinam ab Ecclesia accipiunt, infallibilitas a doctrina iam tradita ab Ecclesia derivat ad personas et se in illis habet ad modum facti transeuntis non habitus permanentis: Ecclesia autem, quae a solo Deo docetur, quae columna est omnis veritatis et semper, auctoritate sua infallibili ratio est certitudinis nostrae circa veritates eamque infallibilitatem habitualiter ex se ratione nempe sui muneris possidet.

Porro Ecclesia hanc praerogativam sibi semper ipso facto asseruit sententias ferens definitivas in controversiis fidei, vel simpliciter proponens fidem ita quidem utroque in casu ut a se propositis veritatibus assensum eum exigeret qui verbo Dei debetur assensum

scilicet certissimum, et nulla in hypothese mutabilem; quem quidem assensum fideles praestare deberent etiam citra ullam ex parte ipsorum scientificam inquisitionem, hoc tantum supposito quod Ecclesia locuta sit. Atqui id tantumdem est ac infallibilitatem ex divina assistentia sibi asserere. Id vero non impedit quominus aliquando Patres consensum universalem Ecclesiae urgerent sub ea quoque speciali ratione quod est consensus quidam universalis qui ad normam purae rationis exactus moralem certitudinem gignit argumentumque esse solet veritatis. Cum Tertullianus ait (in lib. de Praescript.): « quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum », hoc morale principium, etsi non exclusive, prae oculis habuisse videtur. Cum vero Augustinus ait (contr. epistolam Manichaei c. 4): « Ego Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae firmaret auctoritas » divinam considerat auctoritatem; est enim auctoritas, ut paulo ante locutus fuerat, *miraculis inchoata*.

Nec sola Ecclesia catholica sed omnes antiquae haereticae sectae sibi infallibilitatis praerogativam sicut et dignitatem verae Ecclesiae vindicabant. Unde synodis coactis sententias peremptorias ferebant quibus ab omnibus exigebant fidem qui in sua secta, seu, ut ipsi aiebant, in vera Ecclesia esse vellent.

III. At voluit ne Christus Ecclesiam suam infallibilem esse quoad omnes veritates revelatas, an solum quoad quasdam, quae sint praecipuae, et veluti fundamentales pro pietate et iustitia quae ducit ad salutem? Discrimen inter articulos fundamentales et non fundamentales potest triplici sensu adhiberi: 1) respectu scientiae, ut comparatione facta inter eos, illi dicantur fundamentales, qui praestantiores sunt, aliosque virtute continent: 2) respectu explicitae vel implicitae fidei, ut ii dicantur fundamentales qui explicitate credendi sunt, non fundamentales quos sufficit implicite credere: 3) respectu necessitatis credendi, ut ii sint fundamentales quos necesse est credere ut unitas fidei servetur; non fundamentales, quos etsi revelatos non opus est credere ut incolumis sit unitas fidei, licetque negare. Non primo et altero sensu qui penes theologos catholicos occurrunt, sed tertio tumentur Protestantes, et quidem omnes, distinctionem articulorum in fundamentales et non fundamentales: et sic contendunt veram Ecclesiam esse eam quae in fundamentalibus non errat, licet erret in aliis; ideoque probari non posse voluisse Christum ut Ecclesia sua in nulla re revelata erret. Atqui 1° haec distinctio prorsus reiicienda. Sane a) argumento ad hominem, ea a Scripturis non suppeditatur, ex quibus demonstrare deberent Protestantes tum hanc distinctionem exstare, tum quinam ad priorem, quinam ad alteram classem spectent, ne inutilis prorsus esset distinctio. Doctrina vero 1. Cor.

III, 11. spectat ad distinctionem primo et altero modo sumptam, non tertio, qui est proprius Protestantium. b) Imo a Scripturis aperte refellitur, ut Matth. XXVIII, 20; Galat. I, 8. 2. Thessal. II, 14. c) Haec est doctrina nova, ignota prorsus Ecclesiae ante Protestantes: quae e contrario d) diserte ei refragatur, sive cum anathemate perculit eos qui articulos non crederent quos nemo Protestantium inter fundamentales recenset; cuiusmodi sunt plura circa errores Origenis, rebaptizantium, errorem Novatianorum etc.: sive cum docuit quanam sit norma credendorum; hanc enim non in dignitate aut necessitate obiectiva veritatum posuit, sed in divina revelatione per authenticum magisterium manifestata. e) Distinctio huiusmodi omni criterio est destituta, ut videre est in ipsis Protestantibus auctoribus, quorum tot sententiae sunt quot capita; viamque per se aperit latitudinarismo et indifferentismo. f) Rationem fidei prorsus subvertit et contradictionem implicat: motivum enim formale fidei non est dignitas aut necessitas veritatis, sed est sola auctoritas Dei revelantis quae fidem exigit: ea ergo omnia credenda sunt, quae constat esse a Deo revelata, et quidem credenda sunt eadem ratione eademque obligatione, quia idem est motivum: ideoque vel omnia vel nulla credenda: at haec oportere credi, illa non, contradictorium est; oporteret scilicet et non oporteret credere Deo revelanti.

Quocirca 2) infallibilitas Ecclesiae circa veritates revelatas non aliquas tantum, sed omnes complectitur. Nam infallibilis sit oportet circa ea quae sunt credenda fide divina, huc enim spectat institutio Ecclesiae ut infallibiliter proponat divinam revelationem: ergo infallibilis esse debet circa omnia quae sunt fide divina credenda; nam pro singulis et omnibus eadem valet semper ratio collatae infallibilitatis: atqui omnia revelata sunt credenda; ideo enim revelata sunt ut credantur, et idem motivum formale fidei pro omnibus valet: ergo.

Ex dictis sequitur quod si quaestio fiat an Ecclesiae competat infallibilitas quam declaravimus necessario necessitate consequente Christi voluntatem, patet respondendum esse affirmative: ex allatis enim satis constat voluntas divina.

IV. Restat ergo quaestio duplex: prior quomodo Christus voluerit infallibilitatem obtineri in Ecclesia: altera an necesse fuerit Christum velle quod sua Ecclesia esset infallibilis. Priori quaestioni respondemus voluisse Christum infallibilitatem universae Ecclesiae obtineri ope magisterii a se primum in Apostolis instituti quod auxit auctoritate infallibili. Hoc autem non est opus heic demonstrare; nam demonstratio petenda est ex Tractatu de Traditione quem heic supponimus, quique huc inserendus esset nisi seorsim traderetur. Ad-